

Cambridge University Press
978-1-108-04255-0 - Memorials of Henry the Fifth, King of England
Edited by Charles Augustus Cole
Excerpt
[More information](#)

HENRICI QUINTI

ILLUSTRISSIMI ANGLORUM REGIS

HISTORIA,

ROBERTO REDMANNO AUCTORE.

“HISTORIA TESTIS TEMPORUM, LUX VERITATIS, VITA MEMORIÆ,
ET MAGISTRA VITÆ.”—*Cicero*.

A

Cambridge University Press

978-1-108-04255-0 - Memorials of Henry the Fifth, King of England

Edited by Charles Augustus Cole

Excerpt

[More information](#)

DEDICATIO.

HONORATISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO HASTINGO,
 HUNTINGTONIÆ COMITI, DOMINO SUO OPTIMO, RO-
 BERTUS REDMANNUS εὐπράττειν.—

INTUENTI mihi in præstantissimos homines summis Dedication.
 ingeniis præditos, qui, a forensi strepitu et republica
 remoti, cum ad cæteras res illustres tum ad scribendam
 historiam maxime se applicaverunt, magnum opus et
 perdifficile videbatur mandare literis, quæ majores
 nostri præclare in bello et ad posteritatis memoriam
 gloriose administrassent. Nemo fere his temporibus
 reperiatur, cui externa monumenta, licet alienissima, non
 majorem voluptatem quam res gestæ majorum afferant.
 Quorum prudentiam desiderare aut consilium repre-
 hendere non audeo, ne gravius quicquam in nostros
 duces ac imperatores statuam, qui mihi, vetera erudi-
 torum scripta volutanti, videntur in nullo genere laudis
 nationibus exteris fuisse inferiores. Est honestissima
 otii oblectatio, illustrissime domine, cum animus a
 judiciorum strepitu et negotiis civium gerendis conqui-
 escit, totum antiquitatis iter legendo peragraré. Turpe

Cambridge University Press

978-1-108-04255-0 - Memorials of Henry the Fifth, King of England

Edited by Charles Augustus Cole

Excerpt

[More information](#)

Dedication. est, nec in patricio ferendum, cum in procuratione civium versetur, ætatem patriæ, descriptiones temporum, sedem regionum et locorum, domesticam ac bellicam disciplinam, quam nostri homines optime tenuerunt, ignorare. Nunquam eos in laude positos accepimus, qui in sua patria, tanquam in aliena urbe et civitate peregrinantes, errarunt.

Profuisse multum Romanis Varro a Cicerone dicitur, qui, cum esset et rerum copia et sententiarum varietate, ac ipsa collocatione verborum non impolitus, ad scribendum se contulit, studioque suo effecit, ne Romani diutius errantes patriæ suæ instituta et majorum res gestas ignorarent. Illius libri Romanos domum deduxerunt, ut possent aliquando, qui, et ubi essent, agnoscere. Majus hoc et difficilius est, honoratissime domine, quam ipse audeo profiteri; nec id unquam oratione suscipiam, ejus magnitudo, ac incredibilis quædam difficultas, homines longe eruditissimos deterruit. Est summi oratoris munus flumine orationis et varietate maximarum veteris antiquitatis memoriam replicare, et de uniuscujusque vita ac natura disputare, ut nihil non explicatum satis judicetur. Multa vetustatis nuntia et testis temporum historia suppeditet, quæ et varietate sua delectent ac mœstitiam multorum animis inferant. Nemo forti et præclaro animo rempublicam unquam adiit, nec ex illius administratione laudem et famam est consecutus, qui majorum instituta, ac si ludicra essent et inepta, contemneret.

Vereor tamen, nobilissime comes, an perinde hoc intelligi possit ac ipse cogitans sentio. Nollem e nobilibus quemquam oratione mea offendi, ac si laudem aliquam illis præriperem, vel nostrorum hominum inertiam condemnarem, cum satis otii et temporis ad

vetera recolenda non conferant. Præclare cum nostra *Dedication.* republica agitur, quod in eam ætatem incidimus, quæ præstantissimos viros pene innumerabiles produxit, et conjunctio illa potestatis ac sapientiæ, quam Plato censuit salutis civitatibus futuram, nostræ Angliæ contigit; cum in ea summam potestatem habeant, qui in doctrina, in virtute atque humanitate percipienda, plurimum studii et temporis posuerunt.

Ad nimiam assentationem eruditus, honoratissime comes, plerisque viderer, si virtutes tuas, quarum multa documenta dederis, oratione exornarem. Nulla tanta dicendi aut scribendi vis, quæ tuas laudes enarrare possit. Te nihil vulgare unquam delectavit, cujus curæ et cogitationes evigilarunt, ne opinionum inanitas veræ pietatis cultum deleteret, aut improborum scelus rempublicam, in cujus administratione præclare te gesseris, dissiparet. Impius essem, si apud me grati animi fidelis memoria non valeret, cum divina tua beneficentia, ac singularis quædam nec unquam laudata satis benevolentia, tanta promerita in patrem meum contulerit; quem multis negotiis præfecisti, dum in septentrionali regionis parte gubernacula tractares, et communione sanguinis mihi conjunctissimos per te ampliores esse voluisti. Hoc humanitatis tuæ fuit, consulere eorum commodis et utilitati, salutique communi servire.

Non complectar oratione, quam facillimi essent aditus ad te, cujus aures querelis omnium patuerunt; nullius inopia ac solitudo domo tua et cubiculo unquam excludebatur; omnia, cum præfecturam gereres, plena mansuetudinis, clementiæ, et humanitatis. Major est in te dignitas, quam ut concisa dictione a me explicari possit; et vereor ne de ea nonnihil detractum a multis, quibus notissima sit, judicetur, dum eam augere, et

Cambridge University Press

978-1-108-04255-0 - Memorials of Henry the Fifth, King of England

Edited by Charles Augustus Cole

Excerpt

[More information](#)

Dedication. amplificare voluerim. Cum mihi in mentem veniret senescentem prope Henrici quinti Anglorum regis laudem ab oblivione hominum atque a silentio scriptis vindicare, tu occurrebas, ex magna nobilium multitudine hoc munere dignissimus; cujus majores principi nostro bellum in Gallia gerenti præclaram operam et fidem præstiterunt. Quos de gradu et invicta animi magnitudine nullæ procellæ aut tempestates, quæ in ardore certaminis et belli multæ ac variæ erant, unquam potuerunt dejicere. Quanta pericula susceperunt, quoties in discrimen pro patria salutem obtulerunt et de capite dimicarunt, veterum historiæ docent.

Multa bella Henricus armatis militibus, invicto exercitu, et incredibili animi robore in Gallia confecit. Galli a nostris sæpe victi et fusi erant; tanta fuit et tam incredibilis in Henrico rege animi magnitudo, ut facile in contentionem veniret cum antiquis Romanorum ducibus, quorum fama posteritatis memoria celebratur. Ille per summam injuriam inique a Gallis retenta armis recuperavit, et homines nimium sibi præfidentes ac secundis rebus elatos repressit. Docuit quid esset fortes viros ad arma vocare et ad bellum suscipiendum impellere. Ita faciles exitus multa Henrici prælia habuerunt, ut quod in ore Cæsari nonnunquam esset, VENI, VIDI, VICI, id crebris sermonibus Anglorum princeps usurparet.

Si cogitationes tuas ad præclara nostrorum procerum facinora quæ in Gallia effecerunt, historia earum rerum prius non explicata, traducerem, mihi parum consuluisse viderer, qui susceperim, concisa et angusta oratione, nostrorum hominum res gestas in Gallia illigare. Tuum est, honoratissime domine, quid mihi animi sit, in hoc novo et inusitato scriptionis genere, ad teipsum re-

Cambridge University Press

978-1-108-04255-0 - Memorials of Henry the Fifth, King of England

Edited by Charles Augustus Cole

Excerpt

[More information](#)

DEDICATIO.

7

ferre. Tua præstans et singularis natura summam *Dedication.*
alacritatem mihi affert, et bene sperare jubet, nec im-
peratorum reprehensiones pertimescere, qui malevolentia
et obtrectatione rectissima quæquæ solent depravare.

Si tua dignitas, et dominatio, præsidium mihi denun-
ciaverit, quid homines imperiti, intelligentiam in in-
scitia ac optimarum rerum ignoratione ponentes, de
nostro opere et consilio judicaverint, non multum la-
borabo. Quæ inchoata ac rudia, non perfecta, nec
elaborata satis, mihi exciderunt, tuæ humanitatis erit
defendere, et quæ non optima erunt, rerum obscuritati
potius quam voluntati meæ attribuere. Recondita nec
explicata satis multarum rerum natura me sæpe a
lectione rejecit; et addubitare fecit præstantium viro-
rum dissensio, in quorum scripta inciderim, quid literis
maxime illustrarem. Non committam, honoratissime
comes, si ista tibi non injucunda fuerint, sed aspectu
et oculis tuis digna videbuntur, ut ulla vetustas ob-
livione præclaras tuas virtutes obscuret. Deus opti-
mus maximus dominationem tuam diu reipublicæ con-
servet incolumem.

Honoris et dignitatis tuæ studiosissimus,

ROBERTUS REDMAYNE.

Cambridge University Press

978-1-108-04255-0 - Memorials of Henry the Fifth, King of England

Edited by Charles Augustus Cole

Excerpt

[More information](#)

Cambridge University Press
 978-1-108-04255-0 - Memorials of Henry the Fifth, King of England
 Edited by Charles Augustus Cole
 Excerpt
[More information](#)

HENRICI QUINTI

ILLUSTRISSIMI ANGLORUM REGIS

HISTORIA.

FRUSTRA omnis sermo institueretur, et inanis esset labor, si genere orationis accuratiore discendi cupidus enarrarem, quæ invictissimo principi acciderunt ante- quam principatum in Anglos suos obtinuerat ; nec vero ea, quæ re ac factis ineunte adolescentia præstiterit, explicabo ; et leviter percurram singula, quæ, confirmata ætate, cum is se corroborasset ac vir inter viros esset, ad civium incolumitatem singulari consilio ac alta quadam mente procuraverit.

Multa primis annis futuræ virtutis documenta dedit, ex quibus conjectura fieret præpotentem Deum, rebus humanis consulentem, Anglorum regno eum præposuisse. Infinita occurrunt rerum testimonia, quæ facile docent, quam multa maximarum virtutum non adumbrata sed expressa signa habuit. Erant apud illum industriæ stimuli ac laboris ; vigeabant studia rei militaris, singularis et divina in miseros duriore fortuna oppressos clementia ; omnium oculos perstrinxit inaudita quædam propagandæ religionis cupiditas, mansuetudo inusitata, sapientia incredibilis ; et in summa potestate rerum omnium modus in Henrico principe apparuit ;

A.D. 1413. ut, quod difficillimum non tam multitudini imperitæ quam doctis et sapientibus videatur, seipsum sæpius quam alios superavit; vero ut liceat, non cum summis viris Henricum comparare, sed Divinæ naturæ simillimum indicare.

Quid enim ad nominis famam præstantius, aut ad illustrem dignitatem, et plane heroicam, augendam divinius (qualem in illis principibus excellentiam fuisse primis temporibus accepimus, de quibus historiæ veterum doctorumque poemata loquuntur) ex omni memoria quisquam sumere potest, quam talem principem rebus gerendis præfuisse, divino quodam afflatu? qui gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, non tam domare, ferro et viribus debilitare, ac frangere potuit, quam ea ratione superare, quæ a præclarissimis negotiis administrandis sæpissime avocarent. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, quæ, ut Ciceroni placet, natura insolens est et superba; clementer, moderate, sapienter omnia administrare, labes denique omnes repellere, divina quædam laus omnium literis ac linguis celebranda.

Quantum Henricus princeps in omni virtutis genere profecerit, rerum explicatio, quam, sine ullo dictionis apparatu, jejuna verborum concertatione discendi studio flagrantibus proponam, facile docebit. Elaborabo ne quid desideretur, non evolutum satis, quod aliquibus nonnihil dubitationis afferat. Non suscipiam id, oratione mea ut ea universa explicem, quæ nostri scriptores attigerunt. Placet e fontibus eorum indicio ea haurire, quæ vel regis nobilissimi dignitatem amplificent, vel errantem in viam revocent et itinera demonstrent in quibus sine prolapsione insistam. Henrici regis prudentiam, quæ mihi ante oculos obversatur, non sine admiratione quadam suspicere, et singulari benevolentia eximias illius virtutes recolere, possum. Postquam imperium, publico consensu delatum, arripuisset, et con-